

Varias haecenus contemplati sumus Illustrium & Effigies & Actiones: Actiones non honestas tantum, sed & turpes: Effigies non placidas tantum, sed etiam tetricas: Illustrium non Virtutibus tantum, sed & Vitiis; Omnes tamen quin ad perficiendam Humani Generis Nobilitatem faciant, nulli dubitamus. Quis Constantiae Comoda extollat, nisi & incommoda noverit Inconstantiae, cujus in Constante Exemplum prostat. Quis infucata Amicitiam? Quis Servi, quis Subditorum Fidem digne aestimaverit, nisi qui & Perfidiam, quae Pupienum, Balbinum & Gordianum sustulit? Furiarum in Antonino Terror Fraternalis Concordiae jubar extollit; Commodi Vefania Prudentiam acuit, duplicemque ostendit Principum Naturam. Vitellii Voracitas Temperantiae tedium est; Cruelitas Neronis Clementiae horror; Simulatus Iberii sermo Sinceritatis Odium. In Livia fallacem Formam puritas mentis detegit; In Julia Naturae Malitiam Educationis Probitas deplorat; Nefandam Libidinem in Drusilla execratur Castitas, in Iole Fortitudo; In Caesare & Cleopatrae Ambitionis fructum agnoscit Humilitas. Linguae damna in Cicerone miratur Eloquentia; In Philemone Philosophorum fucos Simplicitas. In Bellerophonte punitur Superbia; In Hannibale Socordia; Et Atalantam si intuearis, Auri cavebis illecebras.

*En mella ex venenatis etiam decerpta floribus!*

Quantò dulciora ex Nectareis fluent? Pastorem & Caprum intuere! Vitae rusticae laudes habebis. Luctatores & Bigae & Quadrigae honestissima adumbrant Nobilitatis Studia. Equus Triumphalis Virtutis pollicetur Praemia. Titus tutissimam Principalis fastigii basin in temperato ponit Clementiae & Severitatis nexu. Augustus Regiam Majestatem in terris, Majestatis Divinae Imaginem probat. In Mutio Militaris Civium Constantia radiat; In Theseo ingenuae Juventutis ardor. Non Philosophis, non Poëtis sua deest Gloria. His in Alcæo asseritur dignitas, Illis in Solone. In Lyfimacho Virtutis insignia fulgent. In Alexandro Principum Libertas. Uterque non Pacis tantum, sed & Belli praestitit artibus, uterque inter praelia Sapientiam coluit; Non humanam tantum, sed & Divinam. Minervae Alexander templa posuit: Minervam Lyfimachus suis impressit Numismatibus. Accedite Vos, qui Divinitatem verbis, qui Divinitatem factis negatis! Deos colendos discite ab Ethnicis! Non iis qui impuritate suam Religionem contaminarunt, sed qui castis usi sunt Sacrorum Ritibus.